

λαλῶντα partim ἴδὸν ἀπ' ἑρανῶν. Cur quaeso ἴδὸν λαλῶντα? Aperte hunc opponit ἴδὸν χηματίζοντι, seu Iesum Mosi. Nunquam enim in sacris literis dicitur Christus ὁ χηματίζων, qui dat responsa a Deo accepta, neque χηματίζεις, qui tulit a Deo responsa, quemadmodum dici legimus Noachum Hebr. XI, 7. Mosen Hebr. VIII, 5. Simeonem Luc. II, 26. alios. Et qui posset Christum, Deum omniscium, aliquid latere, quod humano more, a Deo vel peteret vel acciperet? Ipse est, qui omnia tenet,

ὅς ἤδη ἴδὸν τ' εἶναι, ἴδὸν τ' ἐσόμενα, πρό τ' εἶναι.

At enim vero dubium videri poterat de Christo affirmare, quod etiamnum loquatur ad populum, & commodius dici potuisse, eum aliquando locutum esse. Verum nihil accuratius, nihilque ad rem magis appositum esse videtur, quam hoc, Christum in coelos sublatum, nunc quoque nobiscum loqui, quamobrem & Syrus interpretatur *loquentem vobiscum*, ad quos ego quidem, Paulus, scribo. Loquitur enim in omnibus Evangeliorum tabulis, in quibus sermones Iesu consignati sunt. Loquebatur etiam in Apostolis, quibus erat praesentissimus, ac dabat *σοφία καὶ σοφίαν* Luc. XXI, 14. 15. Matth. X, 19. 20. & quorum verbum virtute miracula edendi confirmabat Marc. XVI, 20. Ebr. II, 3. 4. Et, quod denique proxime huc spectare videtur, loquitur sanguis Iesu in Sacramentis ac virtute iustitiam coelestem conferendi, quod vinculum esse puto, quod hoc cum 24. commate coniungit. Pergit deinde Apostolus, & Christum ἴδὸν ἀπ' ἑρανῶν appellat. Nemo non videt, eum minori maius opponere, & sic colligere: quod in re minore valet, valeat (*πολλῶ μᾶλλον*) in maiore. Moses locutus est tantum in terris, nunquam e coelis, Christus tam in terris, quam e coelis dixit, & inprimis Paulus expertus erat Christum ἀπ' ἑρανῶν λαλῶντα, cum voce coelitus audita excitaretur ad cultum Christi amplectendum docendumque Act. VIII, 3. 4.